



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

19. An superiores regularium, & alii excusentur à pœnis impositiis an aliquibus Bullis Pontificiis ratione ignorantiae, & bonæ fidei, etiam in foro externo? Et docetur, quod in tali casu ingnoratia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. XVIII.

An Superiores Regularium, qui non legunt Decreta Urbani VIII. de Celebratione Missarum temporibus statutis, sed post aliquos dies incidunt in penas? Idem dicendum est de alia Constitutione Urbani VIII. de observatione Bullarum pertinentium ad S. Officium. Ex p. 5. tr. 1. 4. & Misc. 2. ref. 1. 5.

§. 1. In diebus decretis statuitur quod sub pena privationis vocis activæ & passivæ, Superiores locales teneantur illa legere in publico refectorio bis in anno, scilicet feria secunda post 1. Dominicam Adventus, & fer. 6. post Octavam Corporis Christi, quæritur an si ex negligentia legatur post dies aliquot, sit locus pœnæ supradictæ? Hic casus est multum practicabilis, quia sæpius Superiores ex negligentia, vel inadvertentia non faciunt legere dicta decreta diebus statutis, sed post dies aliquot. Verum subditi, hoc non obstant, contra Superiores male affecti intendunt illos in pœnas incurrisse. Ego autem frequenter de hoc casu interrogatus respondi negativè; & novissimè inveni sic quoque sentire Laurentium de Peytinis in privileg. Minim. tom. 3. cap. 1. 2. num. 4. vbi sic ait. Quæro an remaneat Superior privatus, qui eo die determinato non facit legere dicta decreta Urbani VIII. de celebratione Missarum, ex negligentia, vel inconsideratione, aut ignorantia; sed facit legere post mensem, v. g. Respondet quod dicta statuta determinatis diebus legi debent, quod si non legatur, legi debent die sequenti, & sic deinceps. Non enim ponitur terminus ad finiendam obligationem, sed ne dilatetur executio. Quare transactio assignato termino non cessat obligatio. Vnde cum pœna privationis non sit statuta ad canonizandum diem præfixum ibi, sed solum ad obligationem inducendam lectionis dictarum constitutionum, ne vllò vnquam tempore in oblivionem, aut dissiuetudinem abeant, quod est finale motuum dictæ lectionis, dicendum est, quod qui ex ignavia, seu negligentia, vel oblivione dictas constitutiones diebus præfixis non curaverit legi, non incurrit dictam pœnam, si alio tempore post mensem, v. g. termini præfixi legi faciat, facturus legi in termino præfixo, si meminisset, vel sciivisset. Ita Peyrinus, qui alias adducit rationes pro hac firmanda sententia, quam etiam tenent docti iuniores de hac re à me consulti.

2. Et idem dicendum est de alia constitutione Urbani VIII. edita feria 6. die 14. Aprilis 1643. de obedientia Bullarum pertinentium ad sanctum Officium. Vbi Sanctissimus decernit quod legatur singulis annis in publica mensa, id est, feria 6. post Octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, sub pœna privationis officij, & vocis activæ, & passivæ. Sed ego decisionem huius dubij remitto ad sacram Congregationem.

RESOL. XIX.

An Superiores Regularium, & alij excusentur à pœnis impostis in aliquibus Bullis Pontificiis ratione ignorantia & bene Fidei, etiam in Foro externo? Et docetur, quod in tali casu ignorantia probatur per iuramentum. Et notatur ignorantiam etiam vincibilem sive facti, sive iuris imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, Tom. VII.

sive factum illud fuerit peccatum mortale, si peccatum non fuerit ignorantia crassa, & supina, factum excusare ab omnibus illis pœnis. Ex p. 5. tr. 1. 4. & Misc. 2. Ref. 2. 4.

§. 1. Hic casus est practicabilis, ad illum sic respondet Laurent. de Portel in respons. Reg. p. 1. cas. 27. n. 3. Pro maiori istius casus noticia, & aliorum similium quotidie contingentium, in quibus violantur Bullæ Pontificiæ punientes illos, qui contra facere præsumperint, quomodo credendum sit transgressori dicenti se fecisse bona fide, & quomodo probanda sit illius bona fides? Respondet in primis, quod si agatur solum de foro conscientia, credendum est omnino asserenti se fecisse bona fide, nec cogitasse ibi interuenisse culpam, vel pœnam; si enim id crederet, non fecisset. Et huic tali persuadendum est, ut omnino quietus sit, nec se credat incurrisse. Imò addo quod licet lex violata non poneret hoc verbum, præsumserit, si tamen contrafaciens excusatus fuit à peccato, vel ob inadvertentiam, vel ob iustam ignorantiam, non incurrit pœnam aliquam, quia vbi non est peccatum, seu culpa, non datur pœna. Si verò agatur de foro externo, quomodo probanda sit bona fides, sive ignorantia.

2. Dico primò id posse colligi ex præsumptione. Ad maiorem verò securitatem probari potest bona fides & ignorantia per iuramentum parti exhibitum, stante enim dubio, stabitur iuramento illius. Si verò obiiciatur in hoc casu, quod contra istam Abbatissam datur præsumptio iuris, quia ius contra illam præsumit, quod sciuerit, quæ tenebatur scire pertinentia ad suum officium, Respondet quod etiam præsumptio iuris eliditur per iuramentum in contrarium, ut habetur in cap. cum in tuo, qui maritum accusat. & glossa ibid. in fine casus, & hæc omnia docet Portel loco citato, qui citat Navarraum lib. 1. consil. 111. de constitut. cons. 1. quæst. 2. n. 6. & 7. vbi ponit alios duos modos ad probandum ignorantiam.

3. Verum contra supradictam doctrinam Portel habeo aliquam difficultatem; nam licet ignorantia probetur per iuramentum eam allegantis, ut patet ex glossa in cap. 2. in ver. scienter. de temp. ord. in 6. Baldo in trakt. de iure Protim. num. 18. ver. sic & ignorantia. Iafone in §. sed iste, numer. 89. & sequentib. ver. advertere. Instit. de act. Tamen vbi adest præsumptio scientia, iuramentum ignorantia non tollit illam præsumptionem præsumptiam scientia in contrarium, ut docet Bartolus in l. si cui §. iisdem criminib. num. 2. & 3. ver. Item dicitur hic, & ver. sequent. ff. de accusat. quem ibi sequitur Pomatus in addit. in ver. dicit ipse, & est de mente glossæ in d. cap. 2. de temp. ordin. in 6. & expressè voluit Iafon in dicit. §. sed iste, num. 92. ver. secundò & notabilius §. num. 93. ver. tertio. gloss. Instit. de act. vide etiam Bartolum in l. inter omnes, §. rectè num. 3. ver. quando circa voluntatem furis, ff. de furis, asserentem in dependentibus ex animo, conscientia, & voluntate nostra non stari assertioni nostræ cum iuramento, si adit præsumptio iuris in contrarium, & Bartolum sequitur Alexander in addit. in ver. tamen brevis.

4. His tamen non obstantibus sententiam Portel etiam tuetur Afflictus in tr. de iure protim. §. 2. n. 9. ver. & si præsumptio, & Lucas de Penna in l. super servis, colum. 3. ver. in 1. gloss. C. qui militare possunt, lib. 12. vbi videtur de terminare quod iuramentum super ignorantia excludit præsumptionem iuris in contrariu existentem.

B §. Notandum

Sup. hoc infra in Ref. 232. §. 1. ad medium, à ver. Cum igitur, & in aliis eius annot. signat in §. 2. & in aliis annot. 1. dicti §. & pro bona fide contenta in hoc textu in to. 6. tr. 1. Ref. 38 §. Quod dictum, &c.

* Sup. hæc ignorantia in Ref. 1. not. præteritæ propè finem, à ver. Afflictus, quod ignorantia. & in tom. 5. tr. 1. ex lata doctrina. Ref. 6. §. signat in §. Confirmatur hæc, ante medium, à ver. Et talis ignorantia. Et ibi in tr. 2. Ref. 25. §. vltim. ad fin. 5.

§. Notandum est tamen hic obiter ignorantiam etiam vincibilem siue facti, siue iuris imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, siue factum illud fuerit peccatum mortale, si tamen non fuerit ignorantia crassa, & supina, excusare ab omnibus illis pœnis. Ita ego * alibi cum Sanchez & Portel, qui iterum hanc sententiam nouissimè docet in loco supra citato, n. 4. quod perpetuò tene mœnti.

* Alibi in
Res. quæ huc
est in tom. 5.
tr. 1. Res. 33.
& in aliis
designatis in
annot. posita
ad sim. tex-
tus data.
Res. & vide
etiam eius §.
penult. &c.

RESOL. XX.

An Superiores Regulares possint erigere Monasteria seu conuentus absque Episcopi Diocesani licentia? Et quid de mutatione conuentus de loco incommodo ad alium commodum locum ex privilegio? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Res. 25.

Sup. hoc in
fr. in Res.
44 cursim in
§. Decimus
quintus. Sed
lege eius
doctrinam à
§. Hoc sup-
posito, &
eius annot.

§. 1. Quando de nouo Ecclesiæ, seu loca sunt ædificanda à Regularibus in aliqua Ciuitate, vel loco, aduertere debent, quod tres ordinationes de hac materia fuerunt huc vlque emanatæ à Summis Pontificibus.

1. Prima fuit emanata à Clemente VIII. die 23. Julij 1603. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Quoniam ad institutum*, &c. in qua statuit Ordinarios locorum non posse licentiam ad novos Conuentus cuiuscumque præsertim Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum Ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendi impartiri, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interess. habentibus, & causa seruatis seruandis cognita, consiterit, in eisdem Ciuitatibus, & locis nolos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Si verò ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam appellari contigerit, ipsos Ordinarios tandè erectionem citatorum Conuentuum suspendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea Causa pronuntiatum extiterit.

2. Secunda fuit emanata à Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium super negotiis Regularium die 17. Augusti 1621. per vitæ vocis oraculum habitum à Papa Gregorio XV. in qua quatenus opus sit, innovat, & in usum reducit dictam ordinationem Clementis VIII. non obstantibus concessionibus factis à Paulo V. suo prædecessore diuersis Religiosis. Volens de cætero obseruari, & insuper statuit, vt dicta noua loca non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Religiosi inhabitare, & ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant. Ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, seu domorum aliarum Religionum per quatuor millia passuum circumvicinis locis vocentur, & audiantur, ac tali erectioni consenserint, vel aliis Ordinariis locorum consiterit, Religiosos Monasterij sic erigendi, absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè manuteneri, & alij posse.

3. Si verò vbi noui Conuentus instituendi erunt, nulli alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum incolæ, & habitatores quorum & consensum requirant, & adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in conuentibus commodè alere, & manuteneri valeant.

4. Tertia fuit emanata à Papa Urbano VIII. die 28. Augusti anno 1624. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, &c. in qua reuocat omnes licentias, & facultates concessas à prædecessoribus suis diuersis Ordinibus ædificandi Ecclesias, seu loca Regularium, contra formam datam à Clemente VIII. in sua Constitutione, & Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium supradictum, ac contravenientes etiam communicat ipso facto, & priuat voce actua, & passua, & Officij, &c.

5. His constitutionibus tamen non obstantibus, putat nouissimè Bruno de Privileg. Regular. parte prima, tractatu quarto, capite sexto, propos. 12. quod Regulares Prælati possint erigere Monasteria, seu Conuentus absque Episcopi Diocesani licentia, & de illius consensu idem possint, nullius alterius, siue Regularis, siue secularis consensu requisito. Probat suam sententiam, quia idemmet Urbanus VIII. Idibus Maij 1623. priuilegia Dominicanorum restituit, ac ex consequenti possint Regulares circa ædificationem Conuentuum quod ante Clement. VIII. poterant.

6. Sed hoc minimè admittendum esse docent communiter Doctores, & praxis omnium Episcoporum, & ipsorummet Regularium. Et quis credit Urbanum VIII. in illa confirmatione Privilegiorum Patrum Dominicanorum voluisse delimitere id quod anno 1624. tam mature statuerat? Adde, quod requiritur ex Concilio Tridentino sess. vltim. de Regularibus caput. 3. Ordinarij licentia, quando de nouo Ecclesiæ, & loca à Regularibus ædificantur.

7. Sed Pater Bruno respondet, Tridentinum non destruere Privilegia Regularium, cum careat clausula reuocatoria ipsorum. At hoc non admittunt Doctores, nec communis Praxis. Et ideo contra Brunum ne deseras videre ex Regularibus Bordonum, vbi me citato decis. 124. sic ait; Iure Privilegij Prælati Regulares etiam Mendicantium possunt irrequisito Episcopo benedicere, & imponere primum lapidem, vt Cælestinus Papa V. concessit id priuilegium Abbatibus Cælestinorum, confirmatum ab Eugenio IV. eidem Congregationi, cuius Bullam registrat Rodriquez, Bulla 18. disti. Eugenij numero 18. Tamburin. tom. 1. disput. 22. questio. fin.

8. Sed quoniam Tridentinum Sess. 25. cap. tertio, prohibuit, ne de cætero Monasteria, & loca erigantur sine licentia Episcopi, in cuius diocesi erigenda sunt iuxta ius commune, capite quidam decimo, capite qui undecimo, cap. de Monachis decimo, questio. secundo, idcirco illud priuilegium censetur reuocatum, si quidem si non possunt amplius erigere Monasteria sine licentia Episcopi, vt etiam nouissimè mandauit Urbanus VIII. sua constitut. incipit *Romanus Pontifex*, quam cum aliis refert Tamburinus tomo tertio, disputatione quinta, questio. prima, & non inuentantur illa sine Ecclesiis, à fortiori censetur prohibita sine auctoritate Episcopi fundatio Ecclesiæ Monasterij, quia non minorem, imò maiorem habent subiectionem Ecclesiæ Episcopo, quam Monasteria, propter illam solemnem benedictionem, & impositionem primi lapidis; præterquam quod situs, super quem fundanda est Ecclesia, vt priuilegium non est exemptus, quare dictum priuilegium non videtur amplius subsistere. Ita Bordonus.